

electio cœlestis inveniat. Etenim ille te, qui non mendax est Deus, qui episcopum plebi suæ de improvviso constituit, ille plena dilectione suæ voluntatis te coronabit. Tunc tantum ut nostri memineris petimus, et oramus, cum pudice affectionis Domini probata atque immaculata hostia, ante Christi tribunal adstiteris, cum gloria gratiæ Dei, præmium devotæ mentis ac remunerationem acceperis; memoriæ hæreat, et tenaciter in sensibus tuis maneat, quam nobis impertire dignaris, dilectio charitatis; ut orationibus tuis peccata nostra veniam consequantur, ut meritis justitiæ tuæ, vitæ nostræ delicta purgentur. Etenim martyrii


A instar esse confido, peccatorem justî petitione meruisse salvari: ut et, cum ipse promereri quid precibus tuis minus possis, martyris meritis libereris. Sic Job justus pro amicorum trium peccatis a Deo rogaturus et impetraturus ostenditur, et probatio timoris ejus et fidei Domini voce teste signatur. Cum ergo in die liberationis tuæ, charissime, repræsentare te Christi vultibus cœperis; cum in aternitatem perpetuitatemque videndi regnare cum Christo felici sorte successeris: pro Domini misericordia in mente jam habe puerum tuum Celsum, sanctissime.

ANNOTATIONES.

Pudice. Sic Remig.; non male in alio, *pudicæ*; editi, *pudicitia*. Auctoritate ejusdem cod. Remig. et aliorum nonnullorum legimus *tenaciter pro teneas ut*, et *promereri pro promovere*, et alia nonnulla emendamus.

Justi petitione. Sic Remig. *justi martyris edit.* et paulo post, *martyris precibus* in eod. Remig. *Celsum. Cæcilium* cod. Remig.

PRÆFATIO NICOLAI LENGLET DUFRESNOY (1) IN LACTANTIUM.



I. Jamdudum expectant eruditi emendatiorem atque perfectionem, quam antehac, Lactantianorum operum editionem. Hanc publici juris facimus, atque id curavimus, ut textus sit emendatissimus; notæ vero non ad ostentationem, sed ad utilitatem referantur. Ne putes tamen, lector erudite, hæc omnia soli meæ curæ debere. In mentem equidem mihi anno 1707 venerat hanc operam in me suscipere, ut otium quod erat mihi a seriis negotiis, quibus detinebar insulis Flandrorum in aula Bavarico-Coloniensi, hoc studio exercerem; omnes fere Lactantii editiones congresseram, atque manuscriptos quosdam, tum in Belgio, tum antea Parisiis contuleram; notas item plurimas assiduo labore confectas et undique conquistatas in unum concervaveram.

II. Sed quo tempore hæc animo versabam, et manum admovebam, ut ad finem operis properarem, nunciatum mihi fuit, Joannem Baptistam le Brun Rothomagensem, Aureliæ ad Ligerim tunc degentem, omne studium, laborem omnem Lactantio emendando intendere; tunc susceptum opus deposui, atque per interpositos anticos misi Joanni le Brun selectas decem editiones et amplius ex rarioribus quadraginta, quas summa cura collegeram. Hujus doctrina et diligentia mihi ex editis S. Paulini operibus, aliisque non indoctis lucubrationibus notæ ac probatæ erant.

(1) Cujus editionem, ut pote omnium hætenus publici juris factarum loco habendam, ad innumerorumque tam editorum quam manuscriptorum codicum fidem emendatam, nonnullis tamen vel in melius mutatis vel additis, recudimus.

B III. Verum, re infecta, anno 1731, abiit ad superos vir eruditus, atque quibusdam ab hinc annis ejus mihi commissa sunt scrinia, et creditæ annotationes. Sed quantus me stupor incesserit vix enarrare fas est, cum viderim, editorem sane eruditum, improbo decem annorum labore in eo tantum desudasse, ut undique concervaret, imo et corraderet varias lectiones manuscriptorum codicum et Lactantianarum editionum; omissis interim iis observationibus, vel historicis, vel criticis, quæ ad auctoris mentem tum assequendam, tum explanandam essent necessariæ. Hac inita ratione, numerum tantummodo editionum auxisset Joannes le Brun; sed antiquiorum non extinxisset desiderium, imo potius incendisset.

IV. Sed ad Lactantium ipsum nostra convertatur oratio. Certum est auctores inter Latinos id illi peculiare esse, ut quodammodo sit ad diversa munia paratus. Si etenim in scriptoribus ecclesiasticis secundum, aut tertium solummodo locum habet, procul dubio vir fuit primarius in re litteraria, propter variam ejus eruditionem, dignam homine litterato. Tanta quippe facundia, nitore tanto, tanta etiam gravitate de rebus maxime in religione necessariis sublimè disputat atque disserit, ut nostris temporibus æque gratus sit, ac prioribus Ecclesiæ sæculis.

V. Quærere vulgo solent, cur eruditus ac eloquentissimus scriptor suas ediderit Institutiones. Id porro causæ fuit: sicut prudentes, et arbitri equitatis Institutiones juris civilis compositas vulgarunt, quibus dissidentium lites contentionesque sopirent, sic Divinas Institutiones eo potissimum publici juris

fecit Lactantius, ut fidelibus uno quasi intuitu cuncta præsto essent argumenta, quibus gentilium errores revincerent, et assererent infractam religionis christianæ veritatem (*Lactant., Instit., lib. 1, cap. 1, col. 146 nost. ed.*).

VI. Ejus quippe Institutiones, quæ libris septem absolvuntur, eo procedunt ordine, ut tribus prioribus cultus deorum insanos retundat, tribus aliis fideles christianos ad veritatem instituat; nam, ut ait Lactantius ipse (*lib. 1, cap. 25, col. 252 nost. ed.*): « Primum sapientiæ gradus est falsa intelligere, secundus vera cognoscere; » ultimo tandem libro de impiorum pœnis et cruciatibus, piorum vero immortalis præmio et beatitudine agit. Nec tamen credas, toto hoc in opere omnia momenta æque valida esse; quædam rationes quæ nunc leviores et frigidiæ videntur, tunc graves erant atque firmæ. Ita quandoque fit, tum ex ingenio, tum ex moribus hominum, ut diversa temporum curricula diversas etiam habeant disserendi rationes.

VII. Non diffitetur autem Lactantius, quin eandem viam emensi jam fuerint quidam e nostris scriptoribus. Sed, ut ipse ait, Minucius Felix, qui veritatis idoneus assertor esse potuisset, non integram tamen nec omnino plenam in tuenda religione disputationem scripsit. In Tertuliano, idque merito, desiderat eloqui perspicuitatem et facilitatem; in Cypriano, quamvis eloquenti et ornato, quamvis in persuadendo potenti, non sat aptam in convincendis gentibus scriptionem notat. At non est culpandus Lactantius, quod septem libros a præceptore Arnobio scriptos silentio prætermiserit. Arnobius enim non nisi, ut videtur anno Constantini xx, id est, æræ vulgaris 326 (1), christianam suscepit religionem quo tempore suus in ethnicam superstitionem edidit disputationes, sex plus minus annis post vulgatas a Lactantio suas Institutiones. Mirum igitur non est, si Lactantius christianorum, teste Eusebio Cæsariensi, eruditissimus tam arduum in se suscepit operam; nec inulta voluerit esse convicia, quibus christianos consecrati fuerant duo philosophi, sive ii sint Hierocles ac Porphyrius, sive quidam alii.

VIII. Hos porro libros quando scripserit Lactan-

(1) Sic porro ait Eusebius: *Anno xx Constantini Arnobius in Africa rhetor clarus habetur, qui cum in civitate Sicæ ad declamandum juvenes evadiret, et adhuc ethnicus ad credulitatem somniis compelleretur, neque ab episcopis impetraret fidem, quam antea impugnaverat, elucubravit adversus pristinam religionem luculentissimos libros, et tandem velut quibusdam obsidibus pietatis fœdus impetravit.* Ita Chronicon Eusebii; eaque ratione accessionem Arnobii ad religionem christianam in annum 326, qui est vigesimus Constantini, rejicimus, quamvis R. P. Remigius Ceillier eam statuat ann. 305, in Historia scriptorum ecclesiasticorum, tomo III. Si anno tertio quarti sæculi Christo nomen dedisset Arnobius, procul dubio id annotasset Eusebius regnante Diocletiano, non autem anno xx Constantini. Porro ejus Chronicon non est deneganda fides: hoc ipso tempore liber ille fuit conscriptus a viro eruditissimo, qui omnem operam contulerat in exploranda vita doctiorum, sui præsertim sæculi.

tius, non est usque adeo certum. In varias critici abierunt sententias. Putat Isæus anno 302 elaboratos esse; sed hoc anno fideles christiani aliquantulum pœce fruebantur, verum quo tempore edidit suas Institutiones persecutione exagitabatur Ecclesia. Existimant alii, anno 311; cardinalis Baronius, post annum 315; doctiores denique, multo post annum 318, forte anno 320 aut 321, editas fuisse sentiunt. Meum non est hic per multas sermonum ambages horum omnium agitare rationes, et argumenta utrinque allata curiosius conquirere. Sufficiat probatum, aut saltem probabiliorum exponere sententiam.

IX. Nicomediam Bithyniæ ex Africa accitus fuerat, imperante Dioclesiano, Lactantius, ut ea in urbe literas oratorias, id est, Romanum doceret eloquium; ibique mansit toto persecutionis tempore, quæ decem et amplius annos in christianos sævit. Ea vero finem non habuit, nisi medio mense junio anni 313. At Eusebius horum temporum scriptor diligentissimus admonet, ex Bithynia in Gallias profectum non fuisse Lactantium nisi anno 317. Verum Lactantius cum scripsit Institutionum libros, tunc in Bithynia non erat. « Ego, inquit, cum in Bithynia oratorias literas accitus docerem, contigissetque ut eodem tempore Dei templum everteretur, duo extiterunt ibidem, qui jacenti veritati insultarent (*libro v Institut., cap. 2*). Vidi ego, inquit, in Bithynia præsidem (*libro v, c. 11*). Hæc igitur jamdiu præterierant; tunc ab ea Lactantius aberat provincia. Hæc ergo scripsit post annum 317.

Attamen persecutiones memorantur in libris Institutionum: sed quænam istæ fuerint ex ipso videre est Lactantio. Eam non puto fuisse, quam desinente anno 302 meditabantur Diocletianus et Galerius; quæque incœpit die februarii 23 anni 303, exitumque habuit die 13 junii anni 313. Tunc enim Nicomediæ erat Lactantius; non igitur hanc eo loci appellat persecutionem. Clarius istud elucescit ex his Lactantii verbis (*lib. vi, c. 17*): « Spectatæ sunt spectanturque adhuc (1) per orbem terræ pœnæ cultorum Dei, in quibus excruciantis nova et inusitata tormenta excogitata sunt. Nam de mortis generibus horret animus recordari, cum immanium bestiarum ultra ipsam mortem carnificina sævierit. » Equidem eo loci loquitur Lactantius de Diocletiana persecutione: sed ea tunc non sæviebat. Propius inspicias hæc verba, « Spectatæ sunt pœnæ; tormenta excogitata sunt; horret animus recordari; cum sævierit. » Numquid hæc locutiones ad statum præsentem spectant? numquid e contrario ad præteritum? Jam igitur hæc omnia præterierant, cum scripsit Lactantius.

(1) Hæc sane sunt intelligenda de claris istorum temporum confessoribus, quos partibus corporis ac membris mutilos fecerant persecutores. Horum multi interfuerunt concilio Nicæno. Ex iis erant SS. Paphnutius Thebaidis, Potamo Heracleæ, Spiridius Cypri episcoporum, quorum stigmata pro Christo accepta deosculatus est non semel Constantinus imperator, juxta Euseblum, in hujus principis Vita, lib. III, c. 6 ad 13, et post Eusebium multi scriptores ecclesiastici.

Itaque multo post annum 315. Verum post Ecclesiam A restitutam nulla omnino alia fuit in christianos persecutio, nisi Liciniana, cujus initium in annum 320 rejiciendum est. Quis vero non videt de Licinio rem esse libro VI Institutionum, capite 6, ubi sic ait Lactantius: « Quidam probitate ficta viam sibi ad potentiam muniunt, faciuntque multa quæ boni solent; eo quidem promptius, quod fallendi gratia faciunt; utinamque tam facile esset præstare, quam facile est simulare bonitatem! Sed ii cum esse cœperint propositi ac voti sui compotes, et summum potentiam gradum ceperint (*id est* acceperint), tum vero simulatione deposita, mores suos detegunt, rapiuntque omnia, et violant, et vexant; eosque bonos (*id est* christianos) quorum causam susceperant, insequuntur, et gradus per quos ascenderunt amputant, ne quis illos contra ipsos possit imitari. » Numquid non est hic ipse Licinius, qui, cœlitus per quietem momente angelo ut præscripta precis norma exoraret a Deo summo victoriam, statim exoravit et impetravit. « Liciniani ergo, » inquit noster Lactantius, « scuta deponunt, galeas resolvunt, ad cœlum manus tendunt, præeuntibus præpositis, et post imperatorem (Licinium) precem dicunt. Illi oratione ter dicta, virtute jam pleni reponunt capitibus galeas, scuta tollunt, tubæ canunt, signa procedunt (*de Mortibus persecut.*, c. 46, tom. II); Liciniani, impetu facto, adversarios invadunt » (*Ibid.*, c. 47). Nonne hic idem ipse est Licinius, qui fecit multa quæ boni solent, quique « de restituenda Ecclesia litteras proponi jussit... et verbo hortatus est, ut conventicula (christianorum) in statum pristinum redderentur? » (*De Mort. persec.*, c. 48, initio et in fine.) Attamen insequitur eos ipsos bonos, quorum causam antea susceperat, rapitque omnia, et violat, et vexat.

Illi vero Liciniana persecutio in Oriente tantum sæviebat; occidentales enim imperii partes quæ Constantino, eas ut regeret, obtingebant, data jamdudum et firmata pace fruebantur. Hinc Lactantius ipse summum imperatorem alloquens, ait: « Malis qui adhuc adversus justos in aliis terrarum partibus sæviunt, quanto serius, tanto vehementius idem Omnipotens mercedem sceleris exsolvet. (*Libro I Instit.*, c. 1, col. 117, nost. ed.). Hac igitur sæviante orientali persecutione suas scripsit, suas edidit Institutiones Lactantius, id est, anno forte 320 aut 321. At non dum exsolverat Deus Licinio mercedem sui sceleris.

Verum peroratio ad Constantinum posterioris videtur esse temporis, anni scilicet 324, cum soli huic principi pareret Romanum imperium, Licinio devicto et procul a republica remoto. « Te, » inquit Lactantius, « Providentia summæ Divinitatis ad fastigium principale provexit, qui posses vera pietate aliorum male consulta rescindere, peccata corrigere, saluti hominum paterna clementia providere, ipsos denique malos a republica submovere, quos summa potestate dejectos (*quæ verba neminem alium quam Licinium indicant in ordinem redactum*) in manus tuas Deus tradidit (*quia Licinius bis a Constantino victus, cedere*

coactus est) ut esset omnibus clarum quæ sit vera majestas. Illi enim qui ut impias religiones defenderent, cœlestis ac singularis Dei cultum tollere voluerunt, profligati jacent, » (*lib. VII Institut.*, cap. 26): in exilium enim pulsus est Licinius anno 324, sed nondum, ut videtur, morti fuerat traditus, ob res novas quas in Oriente moliebatur, quod factum solummodo fuit anno 325. Hinc Lactantius eo loci *veram* Constantini pietatem laudat, quod et venia et vita perduelli et inimico concessis, eum etiam comiter convivio exceperit.

X. Qui possunt eruditi quidam de his ad Constantinum orationibus tamdiu satagere; utrum scilicet imperatori suas inscripserit Lactantius Institutiones? Hunc equidem principem ter quaterve appellat eo in opere. Has orationes non diffiteor sæpe, quin et sæpissime a mss. codicibus abesse, hisque antiquissimis, tum etiam ab editis quibusdam. Aliquæ tamen leguntur in probatis codicibus, at non omnes. Facile controversiam dirimes, si duplicem conjicias factam fuisse a Lactantio Divinarum Institutionum editionem: unam tristibus Licinianæ persecutionis temporibus, anno 320 aut 321, alteram post eundem devictum atque in ordinem redactum, anno 324. Tunc Constantinus, parta victoria, « Malorum, » id est, Licinii et Martiniani, « male consulta rescidit. » Sed scriptorem se moderatiorem prudentemque præbuit eo loci Lactantius, non appellato nomine Licinii, proxima conjunctione cum imperatore conjuncti. Constantinus enim sororem Constantiam uxorem Lucinio tradiderat.

Quin etiam fatentur omnes has orationes, tam ineunte libro I quam desinente septimo, planè Lactantianum sermonem redolere: quæ de re disserimus iisdem in locis, collatis harum vocibus cum indubitatis Lactantii loquendi formulis. Sed unde fieri potest, ut sæpe ex his orationibus una aut altera, non autem ultima legatur quibusdam in manuscriptis (1)? Id sane fuit factum propter diversa, ex quibus posteriores codices descripti sunt, exemplaria. Cum istas orationes Lactantius suis addidit Institutionibus, solus regebat Constantinus Romanum imperium. At si altera facta est Lactantio Divinarum Institutionum editio anno 324, potuit, verbi gratia, inter hæreticos appellare Arianos (*lib. IV Institut.*, c. 50), quorum nomen in plurimis, iisque antiquis manuscriptis legitur. Jam enim Arius ab Alexandro episcopo Alexandria fuerat ejectus, et damnatus duabus in synodis, annis videlicet 319 et 324.

XI. Quamvis gentiles certioribus sæpissime coar guerit argumentis, quamvis religionem sincere et candide coluerit Lactantius, non diffiteor tamen, eum quibusdam obstrictum fuisse erroribus. Hos diverso animo unusquisque, prout affectus est reprehendit. Recte de Lactantio cum S. Hieronymo (*Epist. ad Paulinum*) dicimus: « Utinam tam nostra confirmare

(1) Sic in ms. Lactantii Patr. Capuc. S. Honorati Oratio lib. I legitur, at non ea lib. VII.

potuisset, quam facile aliena destruxit! Sed non eo progredimur, ut eum cum Antonio Raudensi (1) ex ordine Minorum, sæculi xv theologo, exagitemus, quasi ejus libri hæresibus et impietate undique referti sint. Mens mea non est in varias doctiorum incurrere reprehensiones, ne eadem in me dictoria inferantur, qualia expertus est Raudensis ille, quem non solum Adamus (2) quidam, monachus Genuens, notat vehementer ut insanum, verum etiam Franciscus Philelfus bonarum ille litterarum cultor assiduus. Sic enim Antonium Raudensem alloquitur (*Philelfus, lib. v Epist., ad an. 1443*), propter male et insulse reprehensum ab eo tribus libris Lactantium: « Vellem equidem, Pater optime, ab omni istiusmodi scribendi genere te continuisses, neque cum insaniente Candido Decembre desipere ipse voluisses: id certe fuisset et ordinis, et dignitatis tuæ. Quæ enim per immortalem Deum fanatica ratio te commovit, ut perinde atque infesto quodam, atque inimico afflatus Spiritu, in virum illum doctissimum atque disertissimum tam insolenter, tam injuriose, tam impie invehereris, ut non res solum pene innumerabiles consulto male interpreteris, sed nomen etiam viri depravare studueris; utpote quem *Lactensium* pro *Lactantio* nomines? Nam de rebus ipsis quid loquar, quas vel pueris notas dum corrumpere laboras, te omnibus eruditis et gravissimis viris ridiculo præbes. Pudet me profecto ea in medium proferre, quæ a te non inepte minus, quam perperam notata sunt atque reprehensa. » Nusquam vidi Antonii istius Raudensis errorum Lactantii libros tres typis commissos: eorum in Bibliotheca Regia tria novimus exemplaria manu exarata; editæ tantum fuerunt ex iis quædam decerptæ annotationes.

XII. Nimum etiam excrevit Josephi Isæi censura, qua in Lactantio reprehenduntur propositiones nonaginta quatuor, quarum tamen quædam, ipso teste Isæo, benigno sensu sunt interpretandæ, quod aliquando fieri solet in vetustissimorum temporum scriptoribus ecclesiasticis. Libenter potius amplectimur Joannis Mariæ Brasichelli annotationes censorias, quæ moderati sunt theologi. Hujus animadversiones, etsi Lactantio, ubi opus erat, accomodaverimus, eas nihilominus infra sub uno quasi conspectu exhibemus.

XIII. Nec etiam Lactantio adjudices impia illa Mani-

(1) Vide Lucam Wadingum in libro *Scriptorum ordinis Minorum*, in-folio, Romæ 1650. Hic autem Raudensis librum edidit alium *de Verbo bono*, quem propter stylum multum exagitat Laurentius Valla.

(2) Hujus in Raudensem epigramma versuum octo legitur in editione Lactantii Romana anni 1468, apud Petrum de Maximis, unde illud exscripsit Albertus Fabricius Bibliothecæ Latinæ Supplemento, pag. 395. Hoc eo loci dare nobis visum est:

Hic male corripuit stolidis Antonius (Raudensis ausis
Auctorem: in variis causa pianda locis.
Non erat in tenebris errantes imaginis astrum
Dicere, vel nitidum luce carere juhar.
Denique cum sanctæ Ecclesiæ pia lumina constet.
Obsequio ex tanto conticuissè viro;
Tu vero, eloquio lingua interdita Latino,
I cubitum; nam te pensitat elleborum.

chæorum dogmata, quæ quandoque in quibusdam mss. ejus codicibus ac editis leguntur. Ea enim vix reperies in vetustis exemplaribus; aut saltem in margine quorundam adscripta sunt, velut extranea et peregrina. At uno verbo, Manichæis non adhæsisse Lactantium, ex silentio S. Hieronymi et S. Augustini aliorumque scriptorum manifestum est. In Manichæorum grege nullus unquam eum annumeravit, quod procul dubio non omisissent, si ansam in eo reprehensionis dedisset Lactantius. Hæ etenim impietates sæpissime assuæ textui Lactantiano non modo perturbant Scriptoris sermonem, verum etiam ejus doctrinæ plane sunt contrariæ, ut data occasione ostendimus.

XIV. Quamvis in explicanda Verbi divini generatione non erraverit Lactantius, minus tamen theologice locutus est: sed philosophorum loquendi modis utitur, quod interdum evenit iis auctoribus, qui ante Nicænum scripserunt concilium, quo non doctrina tantum catholica dilucidius et planius quam antehac explicata est, verum etiam voces doctrinæ christianæ maxime consonæ formatæ sunt et constitutæ. Cæterum verba quæ ex capite 9 libri secundi *Institutionum* contra sensum Ecclesiæ excerpta esse putantur, ea nec in antiquis leguntur exemplaribus, nec illis convenit cum doctrina Lactantii, qui Verbum, Dei Filium, ante sæcula fuisse genitum pronuntiat (*libro iv Instit., c. 6*), quod negabant Ariani. Hunc etiam « summo Patri similem » pronuntiat (*lib. iv, c. 13, initio*): quin imo Isaias inquit (*ibid.*) Christum « et Deum fuisse et hominem testatur. » Sic porro ait cap.

19 libri vii: « Hic est enim liberator, et iudex, et ultor, et Rex, et Deus, quem nos Christum vocamus. » Sed doctrinam catholicam, qualem eam reperias in Patribus ante-Nicænis, atque in probatis illorum temporum scriptoribus ecclesiasticis, multis verbis prædicat auctor noster. « Cum dicimus, inquit, Deum Patrem et Deum Filium, non diversum dicimus, nec utrumque secernimus, quia nec Pater sine Filio esse potest, nec Filius a Patre secerni... Cum igitur et Pater Filium faciat, et Filius Patrem, una utrique mens, unus spiritus, una substantia est... Et Filius ac Pater qui unanimes incolunt mundum Deus unus, quia et unus est tamquam duo, et duo tamquam unus... Denique unum Deum esse tam Patrem quam Filium Isaias ostendit. » Hæc omnia scriptoris sunt apprime catholici, atque tum a verbis, tum a mente Ariano-

XV. At suspensus hæreo propter S. Hieronymi auctoritatem. Sanctus enim Doctor ait (*Epist. ad Pammach.*) Lactantium, « errore Judaico in libris suis, maxime in epistolis ad Demetrianam, negare substantiam Spiritus sancti. » Verum hujus erroris ne vesti-

gium quidem extat in Institutionum, aliisque ejus libris. Hinc cum eodem Hieronymo (*lib. 1 in Epistol. ad Galat., c. 4*) dicere nobis liceat: « Quis mihi interdicere potest ne legam Institutionum libros, quibus contra Gentes scripsit fortissime, quia superior sententia detestanda est? » Ita porro locutus est erravitque Lactantius « per imperitiam Scripturarum, » ait idem sanctus Doctor.

XVI. Nullus tamen diffitetur, in sententiam erroneque Millenariorum descendisse Lactantium. Existimavit enim, cum viris tunc apprime catholicis, Christum Dominum, vergente ad finem mundo, per mille annos cum justis hominibus in terra regnaturum. At jam a multo tempore sublatus est a Christiana religione hic error, cujus parens fuit vir quidam pius, Papias scilicet, episcopus Hierapoleos in Phrygia, ineunte B sæculo secundo. Hunc autem, ex perperam intellecto Apocalypseos capite xx ortum, studiose comprobare nititur Lactantius, tum ex versibus Virgilianis, tum ex libris Sybillinis, qui medio eodem sæculo exarati creduntur, quique apud ipsum, atque alios scriptores ecclesiasticos, plurimum poterant. Sed illi non est venia deneganda, quam alii ob istud erratum acceperunt. Merito tamen et sapienter Gelasius papa, exeunte sæculo quinto, Lactantii opera una cum scriptis apocryphis annumerat, quod ea non poterant inoffensa omnino doctrina catholica perlegi a cunctis fidelibus.

Ne autem lectorem verba et auctoritas Lactantii decipiant, et inducant in ejus errores, non tantum in notis illòs depellimus, sed etiam in hujus tomi primi præmonitis diligenter, ex variis auctoribus, admonemus. C

XVII. Nihilominus doctissimi quique ejus libros summo in pretio habebant; atque mirum est, quot in orbe litterario Lactantianorum operum codices manuscripti reperiantur. In sola Parisiensi urbe triginta septem et amplius innotuerunt mihi: multo plures invenias in aliis Galliæ nostræ bibliothecis; qui vero ceteras Europæ regiones perlustraret, uberiorem sane segetem consequeretur. Vaticana duodecim, Regia Taurinensis bibliotheca novem exhibent. Quid ab Hispanicis, maxime Scorialensi, omnino eruditis nostratibus ignota, quamvis referta rarioribus mss., quid a Neapolitanis, Vindobonensi, Veneta, Ambrosiana, Florentina, Cassinensi, Siculis expectandum esset? Non omnes tamen æque sunt antiqui et optimæ notæ. Nullus tamen est prætermittendus, quippe qui ex antiquiori descriptus sit exemplari. Hinc erudito lectori persuasum esse debet, quanti scriptorem elegantissimum fecerint majores nostri. Multos tamen reperias sæculis XIV et XV exaratos. Tunc temporis enim iterum ardere cœperunt, in Italia præsertim, studia litterarum; atque Lactantium non propter solum latini sermonis nitorem, sed propter variam ac minime vulgarem eruditionem curarunt ubique describi. In emendandis porro diligenter auctoribus antiquis, unus non sufficit manuscriptus codex, sed plures sunt adhibendi. Ille quidem veram lectionem profert: sed alius eam confirmat; nec sine plurium testimonio aliquid certi depromere licet. Atamen est modus

A quidam adhibendus, ne amanuensis erratum loco veri scriptorum sermonis suscipiatur.

Eorum qualemcumque pertexuimus indicem, addito, quantum in nobis fuit, scriptionis tempore, ne in censuram eruditorum incurreremus. Nec igitur sine ratione Gallæus culpatur, merito Isæus ipse improbatur, qui cum duodecim Vaticanos codices inspexerit, eorum tamen ætatem non indicavit. Recte ergo, quin imo et rectissime, Bunemannus ait (*Præfationis suæ Lactantianæ editionis, pag. 7*): « Non dubito post Isæi tempora plures codices in Vaticanam (*Bibliothecam fuisse*) illatos. Utinam, inquit, opitulante EMINENTISSIMO PASSIONE, præcipuo litterarum elegantiorum patrono, aliquis inde ad Lactantium illustrandum fructus etiam postliminio redundaret! »

XVIII. Variæ nunc brevi percurrendæ sunt Lactantii editiones. Vix unus aut alter est scriptores inter profanos, ne dicam ecclesiasticos, quem sæpius vel docti emendaverint, vel excuderint bibliopolæ. Genties integer prælo subjectus est: ejus vero libri aliquod quindecies et amplius cum notis vulgati sunt. Atque ab ipsis typographiæ incunabulis, ante annum primum sæculi decimi sexti, decies septies in lucem prodierunt: quod vix reperias in aliquo alio scriptore. Aliquando ter, sæpius bis unoquoque anno diversis in uribus publici juris fecerunt eum eruditi tum catholici, tum a cultu catholico Romano alieni. Itali, Galli, Germani, Hispani, Batavi, Angli hunc notis, quantum in iis fuit, illustrarunt. Attamen non æque omnes sunt utiles: adhuc aliquid, non solum ut textus ab omnibus amanuensium mendis liber fieret, verum etiam ut apprime mentem auctoris assequeremur, desiderabant doctiores quique; fatenturque (*Nicolaus le Nourry, e congregatione S. Mauri Benedictinus, in Apparatu ad Biblioth. SS. Patr., t. II, col. 658*) « nullam ex omnibus his editionibus esse omnino perfectam, omnibusque suis numeris et partibus expletam. » Equidem vetustissimæ loco tantum sunt mss. codicum, quos repræsentant. Si enim exemplaria, ex quibus exprimuntur, truncata fuerunt et corrupta, procul dubio editum mancum est et imperfectum. Sic editio rarissima anni 1465 in multis deficit, quippe quæ ab uno tantum codice, coque imperfecto, fuerit deprompta. Græca quandoque prætermissa sunt; sæpius etiam absunt quidam versus et comata. Ita fere est de editis, quæ vulgata sunt prioribus istis temporibus. Vix textus emendatus utcumque nobis suppetit ante Aldinas editiones ope et cura tum Baptistæ Egnatii, tum Honorati Fasitellii. Verum ab eo tempore ad annum 1544, quo prodit emendatio editio Coloniensis, vix ulla est, quæ lectori possit satisfacere.

XIX. Sed ad Lactantium planius intelligendum, propter variam ejus doctrinam, necessariæ sunt annotationes. Atque primus omnium Xystus Betuleius integras elaboravit, quæ anno 1563, post ejus mortem, Basileæ vulgatæ fuerunt. Erasmus quidem jam anno 1529, in librum de Opificio Dei annotatiunculas ediderat, sicut et Willichius anno 1542,

Sed Betuleius vix mss. codicum rationem habuit. A Ejus notæ multo quam par est prolixiores, et ad eruditionis varix ostentationem, non ad legentium utilitatem sunt elaboratæ. Michael Thomasius Taxaquetius melius aliquid molitus est: sed jejune admodum usus est duobus antiquissimis Bononiensibus exemplaribus et Vaticanis septem, quæ viderat. Plane igitur et perfecte medicam manum omnibus Lactantiani textus vulneribus non adhibuit. Multo perfectior est Isæi emendatio, quæ Cæsena in Italia vulgata fuit in anno 1646, ex Vaticanis duodecim codicibus expressa. Criticas non solum, sed etiam theologicas annotationes apposuit. Thysius paueas admodum, et nullius fere momenti notas textui Lactantiano aspersit; primusque mihi visus est auctorem nostrum corrupisse libri 1, capite 15. Quam corruptelam amplexus est, atque longiori, quam par est, annotatione contra bonos mores ac veritatem evangelicam defendit Gallæus, ut pro usura propugnaret; nec eam emendare sategerunt Sparkius et Walchius. Gallæus ipse, anno 1660, emendaticrem ac nitidiorum juvenis molitus est Lactantii editionem, quam notis undique conquisitis, extraneis sæpe, et ad controversias theologicas spectantibus illustravit. Sparkius Gallæo, etsi multo parcius, doctior tamen fuit. Cantabrigiensis editor fatetur, se iterum cudere Thomasiarum textum. Cellarius quasdam, sed nec inutiles notas, nec indoctas adjunxit sat emendatæ suæ editioni. Joannes Georgius Walchius vix annos natus viginti in Lactantio emendando specimen acris iudicii edidit atque doctrinæ, qua nunc in patria illustrior habetur; mirorque in hac juvenili ætate opus senile non obiisse modo, sed et excogitasse. Christophorus Augustus Heumannus elegantem sane excudit, tum ob textus Lactantiani emendationem, quam tamen, ipso fatente, a Christophoro Cellario mutuatus est, tum ob suas notas, quæ singulare in arte critica studium, accuratamque diligentiam exhibent. Multo plura tamen, quam debuisset, glossemata excogitat in Lactantium a viris parum litteratis inducta fuisse. Occurritne difficile aliquid, tunc subest illi cujusdam additamenti suspicio, aut etiam querela, verum sæpissime falsa, utpote nullius fulta manuscripti codicis auctoritate? Tandem Joau. Ludolphus Benemannus in edendo Lactantio palmam aliis omnibus præripuit. Tanta enim variarum animadversionum ubertas, diversarum lectionum tam multiplex affluit copia, tam argutum iudicii enitet acumen in hac sua editione, ut nullus ante illum eo usque progressus fuerit. Sat ipsi non fuit tot mss. codices, tam multas variasque conferre editiones; Scriptorem nostrum cum latinæ linguæ principibus æque contulit, ut persuasum sit omnibus, Lactantium auctores inter ecclesiasticos dissertissimum fuisse. Hunc quippe ad quinquaginta duos mss. codices, vulgatosque quinquaginta quinque emendavit. Merito igitur magnam in Germania laudem ob emendatum Lactantium consecutus est vir eruditissimus. Miror tamen illum, adhibitis historicis annotationibus, ad optatam

metam opus tam eximium non perduxisse; cum jam fortis, jam ingentis cursus emensus esset spatium. Nil factu erat facilius: minus procul dubio laboris fuisset ex antiquis ea colligere, quæ apta sunt ad hunc auctorem explicandum; plus tamen scientiæ, plus contulisset ingenii.

XX. Quid alii in edendo Lactantio præstiterint, diximus; quid jam in hac editione præstemus, nostrum est enarrare. Quanquam de auctore nostro optime sit meritis Joan. Bapt. le Brun, quædam tamen ejus annotationibus addenda esse putavi. Vix mihi creditum est hujus editoris autographum Lactantianum, cum in mentem mihi venit, ut quas ipse notas congesseram olim, in unum cum variis lectionibus a Joanne le Brun collectis copularem atque jungerem. B Hac ratione existimavi fieri posse, ut eruditorum omnium animadversiones hæc novissima repræsentaret editio, atque cunctarum instar esse posset. Alias, non omnes tamen, verum selectas et utiliores conquisivi et elegi in Erasmo, Betuleio, Thomasio, Isæo, Gallæo, Sparkio, Cellario, Walchio et Heumanno. At Isæi editio cum raro venum eat, ejus tamen notæ sint eruditæ, et ad rationem theologicam sæpius exaratæ, integras eas adjungere visum est ad calcem prioris voluminis, ne desiderent aliquid lectores in hac ultima Lactantii editione, quæ omnes alias uno quasi intuitu complectitur. Si ergo subiciatur textui Lactantiano quædam annotatio historica aut critica, ne dubites, ea est Lengletii: si vero subsint lectiones varix, eas, quibusdam tamen exceptis, Joanni le Brun adjudices. Hæc est norma hujus curas ab alterius opera secernendi. Verum quæ ad grammaticam, aliorumque scriptorum cum Lactantii verbis collationem spectant, vix attingimus. Si cui porro necessariæ forent notæ, vel potius disquisitiones in Lactantium theologicæ, eas uberrime dabit Dominus Nicolaus le Nourry, e congregatione S. Mauri Benedictinus, tom. II Apparatus ad Bibliothecam Sanctorum Patrum, a columna 571 ad 4472.

XXI. Attamen quosdam manuscriptos codices, editionesque nonnullas a Joanne le Brun nusquam visas conquisivi. Codicem unum annorum, suppeditavit exquisitissima Bibliotheca Eminentissimi cardinalis de Rohan, nusquam a theologis, imo nec a litteratis omnibus sine laude nominandi. Codicem alium trecentorum et amplius annorum perhumaniter, ut solet, subministravit R. P. Dominus Ludovicus Lemerault, Regiæ Sangermanensi Bibliothecæ præfectus: collationes quorundam Italicorum manuscriptorum a Latino Latino factas, quæ in ejus Bibliotheca non leguntur, aliasque etiam a Petro Ciacconio collectas ultro commodavit D. Claudius Prevotius canonicus regularis ex regalis abbatix Genovefianæ Bibliotheca desumptas. Duos codices ut ad me mitterentur benigne concessit insigne capitulum Cameracense, unum decimi vel undecimi, sed lacerum, alterum integrum decimi quinti tantum sæculi. Quintum tandem habuimus ex Bibliotheca patrum Capucinarum conventus sancti Honorati Pari-

si nsis, ejusdem fere descriptionis ac est Saugermanensis codex, paulo tamen recentiore. Mann exaratum codicem Lactantii librorum de Ira et de Opificio Dei quadringentorum circiter annorum habet Joan. le Beuf, Regiæ Inscriptionum ac Litterarum Academiæ socius. Hunc libenter utendum ad me misit, ex eoque aliqua decerpimus. Manuscriptum quoddam Coloniense exhibet præclara et emendata editio anni 1544. Ad septuaginta igitur quinque codices, quos enumerabat Joannes le Brun, additi sunt a me quinque, aut etiam sex alii.

Idem sit iudicium de pluribus, iisque rarissimis editionibus, quas non viderat Joan. le Brun, ac præcipue de Sublacensi anni 1465, quæ omnium princeps est et primaria, quin etiam et rarissima; hujus quippe quinque vix reperias exemplaria: unum Romæ, in Barberina Bibliotheca; alterum in Mogontiensis ecclesiæ archivio litterario; tertium in eximio musæo viri clarissimi ac eruditi Claudii de Boze, utriusque Academiæ, tum Gallicæ, tum Regiæ Inscriptionum socii, atque Regionum Numismatum scriniis præpositi: quartum exemplar Tiguri extat, in Bibliotheca Carolina; quintum tandem in Bibliotheca Scholæ Zwickaviensis (Cycneæ) servatur. Hujus editionis variæ lectiones sigillatim hic edentur. Contulimus præterea hunc auctorem nostrum ad Parisiense editum anno 1513, quamvis cæteris minus emendatum. Sed magnopere attendimus editionibus Coloniensi anni 1544, Heumannianæ anni 1756, atque aliis quibusdam, quas non inspexerat Joannes le Brun.

Jam metam laboris attingebam, cum mihi nuntiatum fuit a magnæ spei juvenibus, doctissimi viri Joan. Georgii Walchii filii, cum me Parisiis invisere, virum æque clarissimum ac eruditissimum, Jo. Ludolphum Bunemannum, novissimam anno 1739, vulgasse in Germania Lactantianorum operum editionem. Eam statim acquisivi, atque ex ea decerpsi non paucas annotationes, eas etiam, quæ huic nostræ emendationi adversantur. Illasque præmissi textui Lactantiano in utroque hujusce editionis volumine.

XXII. Hac usque de Divinis tantum Institutionibus verba feci: alia tamen opuscula edidit Lactantius, quorum plura vel interierunt, vel alicubi delitescunt. Verum quo putantur ordine elaborata esse, non abs re erit inquirere. Quod ut rectius fiat, quid de scriptore illo dixerit S. Hieronymus (*de Scriptorib. ecclesiasticis, cap. 80*), in medium est afferendum. « Firmianus, inquit, qui et Lactantius, Arnobii discipulus, sub Diocletiano principe accitus cum Fannio grammatico, cujus de Medicinalibus versu compositi extant libri, Nicomediæ rhetoricam docuit, ac penuria discipulorum ob græcam civitatem, ad scribendum se contulit. Habemus ejus Symposium, quod adolescentulus in scholis scripsit Africæ, et Ὀδοιπορικὸν de Africa usque Nicomediæ, hexametris scriptum versibus, et alium librum qui inscribitur Grammaticus, et alium pulcherrimum de Ira Dei, et Institutionum Divinarum adversus Gentes libros septem, et Ἐπιτομὴν ejusdem operis in libro uno ἀκρίτως,

A et ad Asclepiadem libros duos; de Persecutione librum unum; ad Probum Epistolarum libros quatuor; ad Severum Epistolarum libros duos; ad Demetrianum auditorem suum Epistolarum libros duos; ad eundem de Opificio Dei, vel Formatione hominis librum unum. Hic extrema senectute magister Cæsaris Crispi, filii Constantini, in Gallia fuit, qui postea a patre interfectus est. »

Ex his sancti Doctoris verbis, aliisque documentis elici, non certo quidem, sed non improbabilis conjectura potest, tempus quo unumquemque librum ediderit Lactantius. Jam is extremam senectutem erat adeptus, cum in Gallias missus est a Constantino, ut Crispum filium litteris erudiret, quod factum est, juxta Eusebii Chronicon, circa annum 318. Hanc senectutem extremam conijcere licet fuisse ad annum circiter septuagesimum. Ab annis igitur 318 si dempseris septuaginta, supersunt 248, quo æræ christianæ anno natus forsitan est Lactantius noster.

At juxta Hieronymum, hic, cum esset adolescentulus in scholis Africæ, scripsit Symposium anno, ut puto, 268. Hoc deperditum crediderunt eruditi. At non semel illud edidit sub nomine Lactantii Heumannus; nec multum abnuit Bunemannus. Attamen hæc ænigmata Symposio cuidam a veteribus tribuuntur, ut apprime notat Albertus Fabricius in Bibliothecæ Latinæ supplemento p. 271. Nihilominus tamen illud iterum excudi curavi tomo II hujusce editionis. Istud autem Symposium, opus quidem juvenile, centum continet ænigmata versibus exarata, quæ prius vulgata fuerant sub Symphosii vel Symposii, ignoti cujusdam poetæ nomine: aliqua tamen editiones titulum præferunt: *Cælii Firmiani Symposii Poetæ*.

Elegantius vero est Carmen de Phœnice, quod acris æque ac limati judicii vir, Nicolaus Heinsius, Lactantii fœtum agnoscit et prædicat. Idem censet Petrus Lambecius in eruditissimis de Bibliotheca Cæsareo-Vindobonensi Commentariis, l. II, cap. 8, p. 788. Ac doctiores quidam tum ante, tum post Lambecium, in eadem loquuntur sententiam; atque multis in ms. sub Lactantii nomine legitur. Sic etiam habet codex Saugermanensis: « Ista carmina dicuntur esse Lactantii. » Quæ si sint scriptoris hujus, illa circa annum 280 scripta sunt, cum jam in maturiorem ætatem adoleverat: nondum tamen Christo nomen dederat Lactantius.

At cum, Diocletiano imperante, ex Africa Nicomediæ accitus fuerit Scriptor elegantissimus, ut rhetoricam doceret, atque Ὀδοιπορικὸν, id est *itinerarium suum*, hexametris versibus scripserit, mens mea est annum circiter 290 in Bithyniam advocatum hunc fuisse. Diocletianus enim non est imperio potitus, nisi anno 284. Peractis autem in Europa bellis quibusdam, Asiam repetiit anno 289, a quo, ut puto, petierunt Nicomedienses, ut ad se vir ille disertissimus accerseretur. Id vero a solo poterant Imperatore exorare atque impetrare. Eodem forte tempore Grammaticum scripsit Lactantius. Uterque autem liber non invenitur.

Sed cum Christo fuerit postea mancipatus, veram in Asia susceptam religionem, forsitan anno 293, septem vel octo annis antequam in Fideles fureret persecutio. Hac scæviente, scripsit Lactantius libellum eximium de Opificio Dei, circa annum 310, ad Demetrianum quondam auditorem suum, ut quem litteris nihil aliud quam linguam instrumentibus erudierat, ipsi non deesset honestioris rei, meliorisque doctrinæ præceptor (*De Opificio Dei, cap. 1*). Hunc librum ita philosophice scripsit Lactantius, ut ex eo tamen facile Christianus mandata cœlestia hauriat. Obscurus nihilominus, ipso fatente (*De Opificio Dei, cap. 20*), locutus est, quam decuit, idque pro rerum ac temporis necessitate, plura et meliora editurus, si indulgentia cœlitus venerit. Quæ verba procul dubio scævientem indicant persecutionem. Tunc autem meditabatur Lactantius grandius quoddam volumen contra philosophos, et de iis quæ ad vitæ beatæ statum spectant (*Ibid.*). Hic non obscure indicat Divinas Institutiones, quarum libri priores contra Philosophos scripti sunt, ultimus de Vita Beata deserit. Non igitur illas jam ediderat Lactantius, quod multo clarius elucet legentibus caput 20 libri de Opificio Dei.

Eodem forsitan tempore scripsit ad Demetrianum ipsum Epistolarum duo volumina, quæ, sicut et aliæ ejus epistolæ, interciderunt: quasdam tamen, desinente, sæculo xvi, viderat Hadrianus Junius in Egmundani monasterii Bibliotheca, ms. codicibus olim referatissima (*Hadrian. Junius, in Bataviae Historia, in-4^o, Lugduni Batav. 1588, pag. 311*). At jam ab anno 1573 sublatis erant hi duo libri, quos Junio abbas hujusce monasterii tunc ostenderat.

In eadem forte persecutione multas scripsit Lactantius Epistolas ad Asclepiadem. Huic sane cum elegantissimo scriptore nostro consuetudo intercesserat et familiaritas. Sicut enim Asclepiades, cæterum vix notus, sed aut Græcia, aut Asia oriundus, ut nomen indicat, ad Lactantium librum nuncupaverat de summa Dei Providentia (*lib. vii Institut. Div., c. 4, in fine*); vicissim ipsi duos libros Lactantius inscripsit. Verum hi utique perierunt.

Sedata Diocletiana persecutione, pace composita, christianis in integrum restitutis, Lactantius librum de Mortibus persecutorum scripsit, anno, ut videtur, 315. Idque non solum post pugnam ad Campum Serenum descriptam capite 47, qua superatus est a Licinio Maximinus, die primo maii anni 313, imo post edictum de restituenda Ecclesia, quod die decimo tertio junii proponi jussit Licinius, ut habetur cap. 48, verum etiam post mortem, qua Valeria anno 315 mulctata fuerat: quod legitur cap. 51. Hunc libellum de quo iterum dicemus initio alterius voluminis, ab annis mille deperditum, repertumque in Bibliotheca Colbertina, primus anno 1679 edidit Stephanus Baluzius, mandante illustrissimo viro Joanne Baptista Colbert, regi a sanctioribus secretis, et summo ærarii ministro. Singularis hujus in orbe christiano codicis, qui cum reliquis omnibus Colbertinis in Re-

giam venit Bibliothecam, copiam mihi fecit, insito quodam vel innato potius quo est in rem litterariam amore Claudius Sallier, Regiæ Bibliothecæ præfectus alter. Codicem hunc cum editis iterum conferendum esse duxi, et quædam rursus (quod vix credas) a multis, iisque viris eruditis, prætermissa annotavi. Ita ut etiam expresserim in notis quæ fuerint amanuensis errata. Ea enim sæpissime doctioribus dant locum, novam ac utiliore aut elegantiore flagendi interpretationem. Sed ne aliquid deesset huic nostræ editioni, commentarios, quos in Ultrajectinam anni 1692 congesserat Paulus Bauldri, eos omnes, nullo dempto, recudi curavimus. Idque tanta fide ac diligentia, ut eorum etiam notationes censorias, quibus gravius quam decet in Doctrinam catholico-romanam incurrunt, non prætermiserim, addita nihilominus quadam, ubi opus est, animadversione, qua in annotatorem rejicitur error. Ad quid enim istæ tam intempestivæ excursions, ubi de historia, non de rebus agitur theologis? Hac ratione nostram in editionem ea omnia contulimus, quæ prius undique sigillatim conquirere erat necesse, ut integra Lactantii opera, variosque in ea commentarios sibi compararet lector eruditus.

Crispus, anno 317, ætatis vigesimo, Cæsar factus est a Constantino patre. Tunc in Galliis uterque erat, quo accitus fuit Lactantius, qui filium imperatoris litteras edoceret humaniores. Atque ab eo tempore non solus ego multis ductus rationibus opinor editas fuisse Divinas Institutiones, verum in eadem loquuntur sententiam Antonius Pagius (*Critica ad Annal. Baronii, ad an. 315, n. 6*), Tillemontius (*Hist. Eccl., tom. vi, p. 728*), Nicolaus le Nourry (*Apparat. ad Biblioth. SS. Patrum, tom. II, p. 336 et 366*), Remigius Ceillier (*Hist. de Auct. eccl., tom. III, p. 392*), uterque Benedictinus, Joannes Baptista le Brun, aliique bene multi, quibus est persuasum Lactantium hunc librum edidisse postquam percrebuit Liciniana persecutio, quæ scævire non cœpit nisi anno 320. Nolim tamen diffiteri Lactantium multa prius de re christiana in arcanis tabellis scripto annotasse, ut opus hoc tam arduum, tam difficile non solum adiretur, sed etiam ad optatum perduceret exitum vix enim aliter fieri potuit. Institutionum vero duplicem a Lactantio vulgatam fuisse editionem, non Thomasius modo (*Thomas. notæ ad cap. 1 lib. 1 Institut.*), sed et Baluzius ipse (*Baluz. notæ in lib. de Mort. persecut., ad calcem tom. II nostræ edit.*), et Heumannus (*Not. ad cap. 1 Divin. Instit. libri primi*) monuerunt; apud quos leges, tristibus quidem temporibus scriptas esse Divinas Institutiones, lætioribus autem emendatas, auctas et Constantino dicatas. Bis, inquit Heumannus, Lactantius hoc opus edidit, prius ante regnum Constantini, iterum eo rerum potito. Ex hac forsitan duplici editione emanarunt, non eundem omnes, sed quædam lectiones variæ, quæ laboris non minimum facessere, tum doctis Lactantii editoribus, tum eruditis quibusque. Non enim ad-versatur scriptori etiam diligentissimo, nec abhorret

a ratione, ut suas ipse retractet lucubrationes. Felicior sane atque suavior multo est emendatio propria quam aliena.

At liber iste varia et multiplici cum refertus sit doctrina, ad ejus lectionem, ut plane intelligatur, vigilans ac singularis adhibenda est opera. Multi autem terrentur assiduo et acriori studio. Hinc Epitome prodit, postulante Pentadio, sive is frater Lactantii fuerit, sive christianus quidam et amicus, quem loco fratris Lactantius habebat. Pentadius ille ejusdem fortasse generis erat, atque alter hujusce nominis, qui Constantio imperatori intimis fuit a secretis. Istud enim nomen parum vulgare est apud antiquos. Ita porro suas Institutiones angustioribus constrinxit terminis auctor noster, ut mentes instruat, nec tamen prolixitas pariat fastidium, sicut nec brevitatis obscuritatem. Quamvis autem eandem ibi Divinarum Institutionum tradiderit doctrinam, quam alibi passim, eam nihilominus iisdem verbis non explicat. Sicuti nonnulla prætermisit intacta: ita plurima, veritatis explicandæ causa, interdum adjicit. Hinc facile ad scribendum, hinc varium aptumque ad omnia exhibet ingenium. Hujus autem Epitomes pars maxima jam a tempore sancti Hieronymi desiderabatur; quam tamen integram fere ex codice ms. Regiæ Taurinensis Bibliothecæ edidit Parisiis, anno 1712, vir doctissimus Christophorus Matthæus Pfaffius, Tubingensis Academiæ cancellarius. Cujus libri apographum ad me, deprecante eruditissimo Joan. Daniele Schœpflino, historiarum et eloquentiæ professore publico in Argentoratensium universitate, misit Pfaffius, atque in eo quædam non exigui momenti observavi. Ne putes tamen statim post editas Institutiones Epitomen fuisse perscriptam: plures enim elapsi sunt anni opus inter utrumque. « Quamquam, ait Lactantius (*Epitome in proœmio*), Divinarum Institutionum libri, quos jam pridem ad illustrandam veritatem religionemque conscripsimus, etc. » Quemadmodum hæc verba, « non ita pridem, » paucos annos, sic ea « jam pridem, » quæ Lactantius habet, longius temporis significant intervallum. Libens ergo crediderim anno 325 aut 326 editam fuisse Epitomen.

At interea, forte anno 324, plures alios per otium libros edidit scriptor disertissimus, illum præcipue qui de Ira Dei inscribitur, quem editurum se præmonuerat (*Divinar. Instit. lib. II, cap. 17*): « Seponatur, inquit, locus de Ira Dei, quod et uberius est materia, et opere proprio latius exequenda. » Hoc vero contra Epicureos probat, Deum summe justum ob malam hominum mentem, perpetrataque ab iis delicta, imponere pœnas sœntibus, sicut bene merentes promissis donat muneribus. Hunc librum non pulcherrimum modo, sed et docto pariter et eloquenti sermone conscriptum, recte S. Hieronymus habet ut Epitomen Dialogorum Ciceronis. Qui utinam eximie et eleganter in Gallicam linguam versus a Joanne Fr. Dreux du Radier, regis a consiliis, in tractu Thymarensi prætoris speciali, mox prodeat in lucem, sicut et ipse spem nobis fecit.

A Circa eadem tempora scripsisse mihi videtur Lactantius Epistolarum ad Severum libros duos. Severus autem ille Hispanus erat, atque unus ex majoribus Aquilii Severi, de quo ait S. Hieronymus (*in Catalogo scriptor. ecclesiast.*): « Aquilius Severus in Hispania, de genere illius Severi ad quem Lactantii duo Epistolæ scribuntur libri. » At Nicomedienses sicut et Bithynos inter et Hispanos nihil, multum vero Galliam inter et Hispaniam erat negotii. Hinc conjicere licet has Epistolas a Lactantio editas fuisse, dum in Gallia morabatur. Eadem porro dicerem de libris quatuor Epistolarum ad Probum, cujus nomen non Asiaticum, sed Romanum est, vel forte Gallicum. Ad eum enim in Gentis gratiam atque laudem Lactantius his in Epistolis de Gallis præclara quædam profert, testante S. Hieronymo (*Proœm. lib. II, in Epist. ad Galatas*). « Galli, inquit Lactantius, a candore corporis Galatæ nuncupantur, et Sibylla sic eos appellat. Quod significare voluit poeta, cum ait: *Tum lactea colla auro innectuntur*, cum posset dicere *Candida*. Hinc utique Galatia provincia, in quam Galli aliquando venientes, cum Græcis se miscuerunt; unde primum ea regio Gallo-Græcia; post Galatia, nominata est. » Hæc tamen, non diliteor ipse, levior est conjectura; verum ab aliis certiora, melioraque sunt expectanda.

XXIII. Jam diximus de omnibus Lactantii libris, tum extantibus, tum deperditis, quos enumerat sanctus Hieronymus; sed parum nobis curæ est de promissis operibus, quæ nusquam forsitan extiterunt, quale illud est adversus Judæos (*Lact., Inst. lib. VII, c. 1*), cujus veterum nullus meminit. Sic etiam pollicitus fuerat *Disputationes contra omnes mendaciorum sectas* (*Lact., lib. IV Divin. Instit., cap. ultimo, et de Ira Dei, cap. 2*). Quod utrumque onus multo gravius erat, quam ut illud feliciter sustinere posset auctor elegantissimus, at in Scripturis sacris non satis exercitatus, nec integre versatus in Ecclesiæ doctrina. Nec plus curamus eos libellos quos *suppositos* appellamus. Memorant doctiores quidam librum de Spectaculis (*in Memoriis Trevoltianis, ad ann. 1705, pag. 1992; Nouvelles de la République des Lettres, ann. 1705, tom. II, pag. 117; Buddei Lexicon universale, voce LACTANTIUS*), quem dicunt sub nomine Lactantii ex ms. editum esse Venetiis, anno 1705. Hujus copiam mihi facere, imo nec certam habere notitiam potui ex illustratissimorum virorum, atque etiam bibliopolarum litteris Venetiis missis. Unde merito hanc editionem fabulam esse putamus, cum viro clarissimo Jo. Ludolpho Bunemanno in *Miscellaneous Lipsiensibus*, tomo III, pag. 156.

Jam anno 1570 monuerat Michael Thomasius in Antuerpiensi sua editione, carmen de Pascha non esse Lactantii, sed Venantii Honorii Clementiani Fortunati, presbyteri Italici vi seculo, testante ms. codice Bibliothecæ Vaticanæ, in quo leguntur poemata hujus Venantii Fortunati, qui postea fuit Pictaviensis episcopus. Alii versus de Passione Domini ignotum prorsus habent auctorem, at non Lactantium. Hæc nihilominus carmina edidimus, ne forte querantur mo-

rosi quidam lectores, putentque truncam esse ac imperfectam nostram editionem.

Quamvis autem antiquiores Lactantiani codices uno contextu scripti sint sine ulla nec sectionum, nec capitum, sed solummodo librorum distinctione: receptam tamen adhibuimus in capita divisionem, summariis additis, ut cuncta legentibus clariora fiant. Medii ævi exemplaria, quale illud est eminentissimi cardinalis de Rohan, sectiones multas habent; nullas reperire est in vêtustissimis Regis et Camera-censi, nec etiam in Sangermanensi; at codex patrum Capucinatorum qui recentior est, vulgatis capitibus distinguitur.

Dictu inutile putavi de stylo Lactantii longius disserere. Sat est observasse cum S. Hieronymo aliisque viris doctissimis, scriptorem hunc disertissimum Ciceronis eloquentiam referre. Nusquam ejus turget, raro assurgit oratio; sed cum lenitate quadam æquabiliter profluit, non tamen sine nervis et viribus: tam est accurata, tam fortis, ut nulla sit aptior ad persuadendum, sed sine judiciali asperitate, et sine sententiarum forensium aculeis. Puro studet eloquio, perspicuo atque eleganti; sequiturque hanc Ciceronis ipsius normam, « Pacatiorem philosophorum rationem esse, oratorum vero pugnatiorem. » In vocum dispositione tantam sectatur suavitatem, ut etiam apud eloquio potentes Cicero christianus audire mereatur, et Romani Oratoris ingenium om-

nino sapiat. Habet tamen verba quædam peregrina, sed ea vel sunt illius sæculi quo vixit Lactantius, vel Africanæ terræ solum redolent. Sic Tertullianus, sic SS. Cyprianus, Augustinus et Fulgentius, æque ac Lactantius Africani, verbis quibusdam utuntur insolitis et barbaris. Ea porro in rerum indice diverso, id est, Italico caractere edi curavimus.

In hac vero editione, quæ textum Lactantianum sine typographico errore repræsentat, nolimus auctoris hujus verbis admiscere litteras aut signa, quæ notas indicarent, ne rerum series perturbetur, neve immutetur orationis ordo; ne tandem frequentiores notulæ textui permixtæ, attentum lectoris animum retardent, alioque avertant. Satis esse duximus initio cujusque annotationis apponere voces quæ forent in gratiam minus eruditi lectoris planius explicandæ.

Hæc de nostra sufficiat observasse editione, in qua excudenda vicem suam implet Joannes de Bure, bibliopola, ut doctis emptoribus fiat satis, tam in charta eligenda, quam nitidioribus adhibendis characteribus.

Cæterum si quid forte in notis dictum fuerit a nobis adversus sanctæ, catholicæ, apostolicæ et Romanæ Ecclesiæ scita, cujus judicio hæc nostraque omnia subjecta sunt, illud indictum omnino esse volumus, parati emendare, ubi opus erit.

LACTANTII VITA.

Lucius Cælius vel Cæcilius FIRMIANUS LACTANTIUS, non in Italia, sed in Africa potius natus esse recte creditur. Ibi enim etiam adolescentulus præceptore usus est Arnobio. Nec mos fuit unquam Romanorum aut Italorum Africam petere, ut eloquentiam aut scientias edocerentur; imo Afri in Italiam disciplinarum aut artium discendarum ergo immigrabant sæpissime. Tunc autem Siccæ (1) rhetoricam docebat Arnobius, quem non æquavit modo, sed etiam vicit dicendi suavitate Lactantius, ita nominatus a lactea, ut aiunt, eloquentia. Circa annum 290, Nicomediam accitus est sub Diocletiano, ut litteras oratorias doceret. Testatur itaque hunc S. Hieronymus (*de Scrip. eccles.*) Ὁ δειπνοποιόν, id est, Itinerarium suum ex Africa Nicomediam usque hexametris versibus descripsisse. Illum ethnicis parentibus fuisse prognatum, atque eorum errores cum lacte simul hausisse colligitur ex eo, quod de se ipse dicat, Epitomes capite 48, paulo ante finem: « Nos qui sumus ex Gentibus; » et initio capitis 2 de Ira Dei: « Liberati ab errore quo implicati tenebamur, for-

matique ad veri Dei cultum, justitiam disceremus. » Sic et libro VII, capite ultimo ait: « Abjectis erroribus, quibus antea tenebamur, ad æterna cœlestis thesauri præmia dirigamur. »

Quo vero tempore ad christianam religionem accesserit, certo non constat; forte tamen anno 295, ut jam diximus. Nihilominus sat nobis est asserere, illum ante incœptam sub Diocletiano, anno scilicet 303, persecutionem cœlestis lumen attigisse. Id colligitur ex hoc Divinarum Institutionum loco (*lib. v, cap. 4, initio*): « Cum præsentem me, inquit, a dolente, sacrilegas litteras suas explicassent, duo philosophi acerrimi christianorum adversarii.

Litteris humanioribus a teneris annis probe fuit excultus Lactantius, cujus præcox ingenium testatur Symposium, quod adolescentulus scripsit in scholis Africæ. Illud autem non putamus esse, quod tamen post Heumannum et Bunemannum edidimus: opus sane juvenile vel etiam puerile, in quo centum quædam explicantur ænigmata. Forsan antequam christianæ militiæ nomen daret, Carmen de Phœnice vulgavit, quod, teste Heinsio aliisque viris doctis, sat est elegans, ut ascribi Lactantio possit, ei- que reverè ascribitur quibusdam in manuscriptis.

Quamvis eloquentiæ daret operam, rhetoricamque

(1) Siccæ, urbs Africæ propriæ; vocaturque aliquando Siccæ Veneria, vel Siccæ Colonia. Siccæitanus episcopus legitur apud Victorem Vitensem in historia Persecutionis Vandalicæ.